

5. Non denique sermo sit de sola confessione peccatorum publicorum, sed de confessione præterea occulorum, ut ex adductis testimoniis constat.

Ad 2. Neg. Renaudotius enim, Morinus, Wanslebius irrefragabilibus documentis contrarium evincunt, adeo ut nihil sit exploratus.

II. Obj. Sanctorum antiquorum sive episcoporum sive presbyterorum biographi nullibi referunt eos fidem confessiones exceperint, imo nec sanctos ipsos, saltem in vita discrimine constitutos, exomologesim fecisse. 2. Nusquam legimus ethnicos aliquid objecisse adversus confessionem. 3. In nosocomio a Fabiola Romæ instituto nullum invenimus presbyterum excipiendis confessionibus prefectum, nullum cum lues Carthagini aut Alexandriae grassaretur Cypriani et Dionisi Alexandrini aetate; nullum qui militum, vel in navibus iter agentium confessiones audiret. 4. Incomptæ olim sive confessariorum sive poenitentium instructiones, cum tot hodie eruperint Summa, Summulae, Curatorum manipuli, Poenitentia, Confessariorum specula, Instructioes, Aphorismi, Decisiones casuum, Medullæ, etc., etc. que nostras occuparunt bibliothecas. Ergo.

Resp. 1. Hac omnia argumenta negativa esse, nec minimum attingere tota positiva que recensuimus. Nec rationes desunt silentii istius, ac 1. inopia monumentorum que ex primis seculis ad nos pervenient; 2. arcana disciplina, que tunc temporis severissime vigebat; 3. methodus quam sectabantur biographi non omnia singillatim a sanctis gesta persequendi, ut nunc obtinet.

Resp. 2. Ad 1. Neg. Contrarium enim ostendimus ex iis que retulimus ex s. Irenæo, ex Origene, præsertim vero ex Paulino de s. Ambrosio. Quod si expresse non legimus sanctos illos episcopos et sacerdotes peccata sua in vita discrimine confessos esse, tacite saltem id innuunt hagiographi dum referunt eos eucharistiam perceperisse (1). Certum enim est sanctos illam præmisso eucharistia sumptioni probationem quam omnibus indicit Apostolus, quamque iidem sancti ceteris inculcabant. Plerunque præterea sancti illi episcopi et sacerdotes martyrio nævos suos abluebant. Ceterum de s. Eligio legimus, eum totius anteacte vita confessionem fecisse (2).

Ad 2. Tr. Siquidem, ut alias animadvertisimus, ethnicis notitia mysteriorum nostrorum subducatur; nil mirum propterea si haec ab illis ignorarentur. Baronius autem censem calumniam a gentilibus impacterat christianis apud Minutum Felicem in Octavio, quod virilia sacerdotum adorarent (3), inde certam fuisse quod poenitentes ad genua sacerdotum

(1) Gibbon in Hist. de casu imp. Rom. observat s. Ambrosium primam omnium esse de quo legatur eucharistiam ante obitum suscepisse. In hoc tamen fallitur.

(2) Cf. in ejus vita a s. Andreno conscripta lib. 1. cap. 7. Idem refert Gregorius Turon. in vita s. Aredii apud Mabillonum Medicator, tom. iv. Idipsum legitur de s. Tillone in ejus vita apud Bollandum die 7. Januar. aliaque plura exempla suppeditat Martenius de antiqu. Eccles. ritib. lib. 1. part. 2. cap. 6. art. 2. § 9.

(3) In Biblioth. PP. Ed. Venet. tom. n. p. 386.

Ad 3. Dist. Id est non legimus sacerdotes præfectos fuisse confessionibus excipiendis, C. non fuerunt præfecti, N. Nam ex analogia, ex doctrina Patrum, ex præxi confessionis debemus potius inferre presbyteros constitutos esse ad audiendas confessiones cum opus esset. Alioquin ex eodem argumento inferre debemus nec administratam olim fuisse eucharistiam, cum nullus huic administranda præfectos fuisse illi nosocomio, iter agentibus, etc. legamus.

Ad 5. Tr. Alia enim ratione iis supplebant veteres patres; addo regulam ipsis fuisse canones conciliorum, quibus non multo post successerunt poenitentia ac ritualia, etc. Jam a sec. VI. habemus formulas et instructiones tum pro confessariis, tum pro poenitentibus. Hinc quemadmodum non fuerunt conscripti tot tractatus theologiae dogmaticæ ante scholasticam methodum, sic neque tot institutiones theologiae moralis, que prodierunt postquam ad scientia normam redactæ fuerunt. Idem dic de tot decisionibus que exhibite fuerunt a jurisconsultis, que olim desiderabantur, etsi leges jam late fuisse, codicesque Theodosianus et Justinianus prodissent.

III. Obj. celeberrimum Nectarii factum quod an. 590. contigit. Cum enim nobilis quedam mulier patescisset in confessione se turpem cum diacono consuetudinem habuisse, et Cum eam ob causam, inquit Socrates, ecclesiastici homines dicerentur, Euæmon quidam Ecclesiæ presbyter Alexandria oriundus, episcopo Nectario suasit, ut paenitentiarium quidam presbyterum expungeret; unumquemque vero pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem sineret accedere (Lib. V. Cap. 19). Ex qua narratione insert Calvinus cum Kennitio aliiisque non paucis: ergo auricularis confessio abolita est. Est igitur confessio ecclesiastice institutionis (2). Insert autem Dallæus: ergo nondum auricularis confessio Nectarii aetate vigebat, alioquin ejus meminissent Socrates, Sozomenus et Nicephorus qui hanc historiam referunt (3).

Resp. Neg. utramque conseq. Nam Nectarius solum abolevit munus presbyteri paenitentiarum institutum sec. III. post Decii persecutionem, ut refert idem Socrates (Initio cap. cit.). Hujus porro paenitentiarum munus erat non modo excipiendi secretam et sacramentalem confessionem, verum etiam inquirendi, si opus esset, pro delicti qualitate, in delinquentes, adiungendi penitentes ad denuntiandos peculiares peccatores, processus instiuenti, episcopum informandi in eum finem, ut

(1) Ad an. 36. n. 18. Hic obiter observo quod olim non genuflectendo, sed sedendo confessio fieret, ut pluribus documentis ostendit Martenius de antiqu. Eccl. rit. 1. p. 2. cap. 6. art. 5. § 5. quem ritum adhuc retinere Graecos testatur Allatius lib. m. de consensu Eccl. occid. et orient. cap. 9. n. 6. Ratio, quam hujus ritus afferit Martenius, est prolixitas confessionum, eo quod rariores antiquitus fuerint.

(2) Instit. lib. m. cap. 4. § 7. ubi et illud subdit: «Hic aures asini isti arrigant. Si lex Dei erat auricularis confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere et convellere?»

(3) De sacramentali sive auriculari Latinorum confessione. Genov. 1661. lib. iv. cap. 24.

553 posset in ipsis procedere, ut contigit in facto istius nobilis mulieris. Hæc enim mulier duplice fecit confessionem, ut refert Socrates; in priori confessione: Delicta post baptismum a se patrata singillatim confessa erat; deinde, seu ut idem scribit Socrates, progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, Ecclesia videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse (1). In posteriori tantum hac confessione compulsa est mulier ad diaconum denuntiandum, qui propterea ab Ecclesia ejectus est, et inde aborta populi indignatio et dieteria in ecclesiastico viro. Hoc igitur mixtum, ut ita dicam, tribunal, et quidem ad tempus in Ecclesia constantinopolitana abrogatum fuit, et confessio ad pristinam simplicitatem revocata (2). Sane Sozomenus, qui idem factum refert, ac solum XL. an. post Nectarium scribat, pro certo sumit necessariam esse confessionem ad peccatorum remissionem obtinendam: Cum in petenda venia peccatorum, inquit, necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio jure merito visum est, sacerdotibus tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesie multitudine, crimina sua vulgare (3). Hinc licet experimentum capere honeste fidei et sapientiae Calvini, Kenniti, Dallæi ceterorumque hereticorum, dum talia adhuc obtrudant. Ex hoc enim facto ad criticas lanceam exacio habemus ineluctabile argumentum tum de necessitate, tum de præxi confessionis jam a sec. IV. vigentis.

IV. Obj. Plures tum paulo ante, tum paulo post concilium Lateranense propugnarunt liberam esse confessionem que sit sacerdoti, eum sufficiat soli Deo confiteri. Sic 4. concilium Cabillonense II. quid hoc relata sententia, eam non damnat (4); 2. Petrus Lombardus, qui etsi eam rejicit, nullam tamen heresis notam ei inurit (Lib. IV. D. 17); 3. Gratianus, qui recenset sapientes et religiosos viros docentes, Sola cordis contritione, et secreta satisfactione absque oris confessione quemquam posse Deo reconciliari (Dist. I. de paenitent.). Et hi quidem ante concilium Lateranense. Post concilium vero Joannes Semeca Gratiani glossator confessionis oralis necessitatem aperte rejicit, Petrus vero Uxamensis in libello quem de confessione edidit, has theses propugnat 1. deleri lethalia peccata sola contritione sine ordine ad claves; 2. quod specialis peccatorum confessio non sit de jure divino; 3. quod prævæ cogitationes confiteri non debent. Ergo.

(1) Χαῖ τέρπεται οὐκολόγηται τὰ δημόσια ἀ; λαζαρίου πρᾶτος θέματα . . . η δὲ γῆ προσβάθεσσον καὶ ἄλλο πανταχοῦ λαζαρίου κατηγόρει. Εἴη γάρ, οὐ εἰς συγχωνεύσας αὐτὴν τὴν διαδοχὴν δύσκοντος. Causa erroris adversariorum in eo est, quod ipsi secuti sint versionem Christo-horsoni, qui locum hunc ita reddiderat: mulier longius in confiteendo progressa, etc. Ostendit porro Valesius hanc versionem mendosam esse, cum non loquatur Socrates de una eademque confessione, sed de duabus plane inter se distinctis, ambabus secretis coram solo presbytero factis.

(2) Cf. Valesium in hunc locum, necnon Petavium animadvy. in s. Epiphyan. ad haeres. 33.

(3) Lib. vii. cap. 16. Καὶ τὸ παραπλεόνετο τὸ ἀπαρτίαν κράτος φόρου, οὐκ εἰσὶ, οὐδὲ ἀρχῆς, τοῖς ιεραῖς θόσοῖς, οὐδὲ διατρέψαντο τῷ εἰσιθεῖ τῇ λαζαρίᾳ, τῷ δημόσιῳ λαζαρίῳ.

(4) Apud Hard. cit. conc. tom. IV. col. 1057.

Resp. Dist. Ant. Id est panis iisque ut plurimum canoniste, nulliusque nominis, ideoque deserendi, C. plures, N. (1). Hi enim aperte a recepta Ecclesiæ fide ac perpetua traditione recesserunt.

Ad 4. prob. Dist. Concilium Cabillonense non inusitat haeresis notam illi rum sententiae, vel quod nullum adhuc prodierit Ecclesiæ decretum, vel quod illius fautores potius ex ignorantia, quam ex malitia peccarent, C. non improbabit, N. (2).

Ad 2. Idem esto responsum (3).

Ad 3. Tr. Tum quia adhuc incertum est num haec distinctio de poenitentia genuinus sit Gratiani fetus, quod graves critici inficiantur (4); tum quia longe verisimilis est Gratianus, si ejus auctor est, non agitare questionem de necessitate confessionis, sed utrum dimitti possint peccata per solam contritionem cum voto sacramenti, si desint confessarii, prout etiam nunc ut certum docent catholici theologi omnes, an vero semper requiratur actualis confessio, ut nonnulli tunc temporis sentiebant; tum denique quia compertum est illum auctorem errore facti esse deceptum. Certum est enim omnes doctores Gratiano coevoe necessitatem confessionis ut dogma catholicum propugnasse, prout ostendit, adductis illorum testimonij, Natalis Alex. (Diss. et loc. cit.), qui præterea observat male ab hoc auctore citata fuisse verba ex Poenitentiali Theodori Cantuariensis: Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci, quidam vero sacerdotibus esse confitenda percensent, ut tota fere sancta Ecclesia. Siquidem in Poenitentiali Theodori nihil ejusmodi occurrit, ut patet ex mss. codicibus Thuanæ bibliothecæ ex quibus illud edidit Jacobus parvus. In canone autem XXXIII. concilii Cabillonensis II. ex quo textus ille desumptus est, desunt illa verba ut Græci necnon et alia: ut tota fere sancta Ecclesia (5). Petrus porro Uxamensis ut hereticus damnatus est a Sixto IV, ejusque cathedra combusta.

Propositio III. — Nullum est peccatum quod rite dispositis ab Ecclesia virtute clavium remitti non possit.

Haec propositio est de fide, ut constat ex eo quod Ecclesia statim ut hereticos habuerit montanistas ac novationes qui ei hanc illimitatam facultatem admittunt.

(1) Cf. Nat. Alex. Diss. 14. in sec. 15. et 14. § 33.

(2) Ut patet ex contextu illius canonis, ubi sermo fit de errore pratico, ut vocant, potius quam de speculatorio ac theoretico.

(3) Apposite s. Th. in Comment. in 4. D. 17. textum, qui nobis opponitur, exponens: «Quod ponitur, inquit, hic pro opinione, heresis est . . . In talibus antequam determinetur per Ecclesiam quod ex eis sequatur aliquid contrarium fidei, non judicatur heresis esse. Et sic Magister et Gratianus hoc pro opinione ponunt, sed nunc post determinationem Ecclesie sub Innocentio III. faciam heresis reputanda est.»

(4) Inter ceteros Antonius Augustinus lib. 1. De Gratianus emendatione. Dial. 18.

(5) Cf. Pithicum in hunc tractatum Gratiani de poenitentia dist. 1. n. 90. qui est Decreti 2. Pars, Causa 33. Quæst. 5.

Ceterum præter auctores superioris saepè laudatos Cf. Nat. Alex. Diss. cit. ubi accuratissime quatuor libros Dallæi de confessione refellit; necnon Morinum de penit. lib. 1. et in.

bant (1). Montaniste enim graviora crimina, idolatriam, homicidium, mœchiam absolvit posse ab Ecclesia iociciati sunt. Novatiani schismatis auctores Novatianus et Novatus hanc facultatem Ecclesie denegabant quoad lapsos; ipsorum assecle postea extenderunt immitem hanc doctrinam ad atrociorum criminum reos, ac denum ad omnes, qui post baptismum in lethalia criminis prolapsi essent. Soli porro divina misericordia hac peccata remittenda relinquebant. Non pauci sociniani, saltum ex parte, crudeli huic heresi subscriperunt (2).

Sic porro adversarios nostros urgamus: ideo recensita crimina aliaque ejusmodi Ecclesie clavibus non subjiciuntur, nec propterea ab Ecclesia remitti possunt, aut quia generalissima Christi verba Matth. XVI. Quaecumque solveritis, etc. et Jo. XX. Quorum remiseritis, etc. intelligi debent de baptismio; aut quia Christus ipse exceptionem aliquam apposuit; aut quia denique omnium remittendorum criminum facultas solis apostolis concessa fuit, minime vero ipsorum successoribus, prout illi heretici contendebant. Jam vero nihil horum dici potest.

Non primum ut constat ex iis, quibus ostendimus poenitentiam sacramentum esse a sacramento baptissimi plane diversum, atque adducta testimonia ad solum poenitentiae sacramentum referri. Constat preterea ex eo quod, prout observat s. Pacianus, homines post baptismum pejoris conditionis forent, ac sint ipsi infideles: *Quod si, inquit, ad gentes hanc solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam; multo magis ad baptizatos pertinuisse convincam. Nam si his solvi potuit, vel ligari, qui non habuit vinculum, quanto magis ille, quem fidei jura tenuerunt* (3)?

Non alterum admitti potest; siquidem tantum abest, ut exceptionem aliquam alicubi Christus fecerit, ut omnem prorsus exceptionem excluderit. Optime rursum Barcinonensis antistes ibid. subdit: *Quaecumque solveritis, inquit Christus. Omnino nihil exceptit: quaecumque, inquit: vel magna vel modica* (*Ibid. n. 62*); et s. Ambrosius: *Deus, scribit, distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit* (4). Idque confirmat exemplo incestuosi Corinthii, quem absolvit Paulus, et Simonis Magi omnium haereticorum parentis, cui tamen dixit Petrus Act. VIII. 22. *Poenitentiam age ab hac nequitia tua: et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio coridis tui.*

Non denique tertium, quia in bonum Ecclesie hanc facultatem Christus concessit; alioquin sequeretur, potestatem administrandi cetera sacramenta ad solos

(1) Cf. Morinus op. cit. I. 1. cap. 4. et 5.

(2) Etenim Smalcianus in *Refutat. thesium Wolfg. Franzii, et Jonas Schlichtingius in Disput. contra Meisnerum*, poenitentiam agentes sub extrema vita periodo veniam obtinere posse omnino iociciatur: ac vi novi federis damnandum sum esse, qui in peccatis tandem manserit, ut ei non amplius tempus suppetat, ut vitam et mores emendet, absolute pronuntiant.

(3) Epist. III. ad Sympronianum n. 61. apud Aguirre Collect. maxima con. Hisp. tom. II.

(4) Lib. I. de penit. cap. 5. n. 10.

apostolos limitatam fuisse, quod tamen novatiani non admitebant; hinc rursum s. Pacianus ita eos perstringebat: *Si ergo et lavaeri et chrisma potestas... ad episcopos inde descendit, et ligandi jus adiut et solvendi* (1).

Quare universa Ecclesia et patres omnes statim ac immanissima hæc heresis (ut eam vocat s. Cornelius Papa) erupit, in eam insurrexerunt unanimi consensu, atque dannarunt veluti contraria verbis Christi et constanti Ecclesie praxi (2).

DIFFICULTATES. I. **Obj.** Christus ipse exceptio nem aperte apposuit generali ac indefinita facultati, quam Ecclesiae tradidit per allata testimonia. 1. Et enim Matth. XII. 51. *Omne peccatum, inquit, et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur.* Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Hanc limitationem ipsi Apostoli agnoverunt, ut constat ex I. Jo. V. 16. ubi dicitur: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis;* atque ex apostolo Paulo, Hebr. VI. 4. scribente: *Impossible est, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœlestis et participes facti sunt Spiritus Sancti.... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, qui præterea ibid. X. 26. subdit: Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia,* quod XII. 17. confirmat 2. exemplo Esau, qui *Non invenit poenitentiae locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* 3. His adjici possunt, quæ etiam in V. T. de nonnullis peccatis plane irremissibilibus leguntur, cuiusmodi sunt, quæ de peccatis in Deum commissis dicebat Heli filius suis I. Reg. II. 25.: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Hinc de Antiocho II. Machab. IX. 15. scriptum invenimus: *Orabat hic scelestus Dominum a quo non esset misericordiam consecuturus. Ergo.*

Resp. Neg. Ant. Ad allatas vero probat. **Dist.** Ex defectu dispositionis in subjecto, seu peccatore, Tr. vel C. ex defectu facultatis in Ecclesia, N. Hæc enim aliaque ejusmodi testimonia ostendunt quidem summam difficultatem seu moralem impossibilitatem obtinendæ remissionis ex defectu dispositionis in istorum criminum reis, quod non diffitetur, quæcumque denum peccata ea sint (3), de quibus sermo est in adductis testimoniis; nullo vero modo attingunt defensio.

(1) Epist. I. ad Sympron. n. 17.
(2) Cf. Eusebium H. Eccl. lib. v. cap. 18. et 19. et lib. vi. cap. 45. seqq.

(3) Haud parum inter se dissentient interpres in determinando peccato, de quo agitur in objectis locis. Alii enim de apostasia, alii de impenitentia finali, alii de incredulitate, alii de aliis peccatis ea exponunt. Res incerta est, verisimilior nobis videtur expositiæ de apostasia, ut indicare videtur scopus eorumdem scriptorum sanctorum, præsertim apostolorum Pauli ac Joannis. Verba Christi plerique explicant de iis, qui aptere impugnant veritatem sibi cognitam, et ex sola animi perversitate eam adorantur, quales haeresiarchæ, ut plurimum sunt, eorumque ministri. Cf. Morinus de penit. lib. ix. cap. 28.

etum facultatis in Ecclesia, suppositis debitibus dispositionibus. Id evidenter constat ex eo quod omnia illa testimonia resipient Deum ipsum immediate, seu peccatores his peccatis inquinatos in ordine ad difficultatem veniae a Deo obtinendæ ob pessimam animi dispositionem; de facultate vero Ecclesie nec verbum quidem in his habetur, ex quo argui possit, eam limitatam esse quod hæc peccata. Quo fit, ut non possint adversari ea testimonia urgere, quin evertant propriam doctrinam, alioquin enim sequeretur, neque ab ipsa divina misericordia posse illa peccata dimitti, nec ejusmodi peccatores veniam a Deo posse obtinere, secus ac montanista ac novatiani docerent.

Ad 2. Dist. non invenit Esau poenitentiae locum in patre relate ad jam collatam benedictionem, C. peccatorum suorum, N. De his enim hic non est sermo.

Ad 3. Resp., 1. Hæc non esse ad rem; nos siquidem agimus de facultate a Christo Ecclesie data, ad quam certe que objiciuntur referri nequeunt. **Resp. II.** **Dist.** Peccata in Deum patrata difficultioris sunt remissionis juxta dicta, C. absolute, N. Addo, et hanc difficultatem, si quam vim haberet, evertere adversarii systema. Idem dicatur de eo quod adversarii objiciunt ex Antiocho.

II. Obj. Patres non paci hanc exceptionem agnoverunt, ac I. s. Hermas de celestioribus quibusdam peccatoribus loquens: *His, inquit, non est per poenitentiam regressus ad vitam.... hujusmodi omnes morti sunt destinati* (1). 2. Auctor Constitutionum Apostolic. docet concedi quidem idololatris veniam per sinceram poenitentiam revertentibus, non autem ei qui Velut acie rebelli tentet Deum... hujusmodi venia carabit (2). 3. Hinc Origenes et Theognostus apud s. Athanasium citata Apostoli verba de iis intelligent, qui post baptismum in peccata relabuntur; eosque aiunt, *misericordiam non consecuturos* (3). 4. Sic etiam ss. Cyprianus et Ambrosius aperte docent, nonnullorum peccatorum nonnisi Deum misereri posse (4): sancti vero Athanasius, et Hieronymus vocant blasphemiam in Spiritum sanctum peccatum irremissibile, inveniabile, indeprecabile (5). Ergo.

Resp. Neg. Ant. Ad 1. et 2. prob. Dist. Ad significandam summam remissionis difficultatem in peccatoribus ita prave dispositis, C. ad significandam aliquam limitationem facultatis Ecclesie a Christo concessæ quod rite dispositis, N. Etenim de hac nullo modo loquuntur objecti auctores.

Ad 3. Dist. Qui propterea deserendi sunt in hac singulari interpretatione ac refellendi, prout eos re ipsa confutat s. Athanasius, C. secus, N. Sic enim

(1) Lib. m. Pastor. Simil. 6. n. 2.

(2) Lib. n. cap. 25.

(3) Epist. IV. ad Serapion. n. 9. op. edit. Maur. tom. I. p. 2.

(4) S. Cyprian. lib. de lapsis edit. Maur. p. 186. Alia ejusdem s. Martyris in hanc rem testimonia congressi editor Maurinus in Praefat. § 8. pag. 21. S. Ambrosius in lib. ad virg. lapsam, cap. 8.

(5) S. Athanasius ep. 4. ad Serap. S. Hieronym. ep. 42. ad Marcellam ed. Vallars. al. 149. Alia similia testimonia ss. Patrum profert Morinus, lib. ix. cit. de penit. cap. 28

PERRONE. II.

s. Athanasius eos perstringit: *Si eorum causa, qui vesti lavacrum peccant, id dictum fuisset, et illi veniam obtinere non possent; cur hominem apud Corinthios pœnitentem in caritate confirmat Paulus: Galatas vero retrorsum abeunt parturit, donec formetur iterum in eis Christus* (1)? qui deinde pergit demonstrare illis verbis ab Apostolo non excludi peccatores a pœnitentia, sed ostendi unicum et non duplex esse Ecclesie catholice baptismum.

Ad 4. Neg. Id enim in primis s. Cyprianus intendit, ut evincat, poenitere nolentes martyrum precibus liberari non posse. Illoc vero confirmat exemplo Moysis, Job ac Noe, qui ejusmodi peccatoribus veniam suis precibus non potuerunt impetrare. Insinuat præterea contra Felicissimum Diaconum, solius Dei esse sic misereri, ut omnem satisfactionem omnino remittat. (2).

S. Ambrosius, si tamen ipse est auctor libri ad virginem lapsam, infelicem virginem stupri et infanticii ream perpetua poenitentia mancipavit, quia tamen uspiam affirmit ejusmodi peccata esse prorsus irremissibilia, alioquin eam poenitentia minime subjecisset (3).

Dum vero ss. Athanasius, et Hieronymus dicunt, blasphemiam in Spiritum S. peccatum esse irremissibile, etc. non id affirmant ratione peccati in se, sed ratione subjecti, ut paulo ante exposuimus.

III. Obj. Ecclesia interdum quorundam criminum reos a reconciliatione arcebat vel in ipso mortis articulo. Ergo.

Resp. I. Neg. Ant. Cum illa agendi ratio non fuerit toti Ecclesie communis, sed propria particularium ecclesiarum, et quidem ad tempus, atque ut nonnulli verisimilius censem quod solam reconciliationem externam et publicam.

Resp. II. D. C. Ita se gessit Ecclesia ex prudenti quadam œconomia, Tr. (4) ita se ge sit eo quod exi-

(1) Loc. cit. n. 13: ἀλλα τι, οὐ τον μετά το λουτρὸν ἀμαρτιῶντας γέροντες τούτο τὸ βῆμα, καὶ τούτους ἀσύγκριτος; λοτον η τον πληρωμάτων δίκαιος τον τον Κορίνθου μετανοοῦντι, μετοπ τον αὐτήν σάρπην διπλότον, τοδε δι ταλάντα πλανδερμόποντας ὁδίνει, ἀλλα το πάλαι πρεσβύτερος τον αὐτούς. Benigne tamen militat s. pater expondere que retulit ex Origene et Theognoto.

(2) Cf. editor. Maurin. præf. § 8. ubi ostendit, pluribus allatis in medium s. Martyris testimoniis, nihil ipsum de liganti ac solvendi potestate, nihil de iudicio sacerdotum detrahere; sed certis quibusdam legibus judices adstringere, ita ut non facile dimittant, que non facile a Deo dimittuntur. S. Cyprianum jam egregie defendeat s. Pacianus in saepè laudata ejist. III. ad Sympronian.

(3) Hic porro notandum est, quod cum diximus difficulterem esse istorum peccatorum remissionem ob perversam subjecti dispositionem, non ita intelligendum esse, ut nonnulli autem, quasi Deus induratis peccatoribus omnem gratiam conversionis deneget, quod absconson omnino est et alienum a sensu catholicæ Ecclesie, ut alias ostendimus; sed eo sensu, quod istius modi peccatores gratiae Dei resistant.

(4) In hac quæstione critica, utrum nempe nonnulli peccatores etiam in articulo mortis Ecclesia reconciliationem seu absolutionem denegaverit necne, gravissimi autores inter se dissentient. Affirmant inter ceteros Albaspinus Observat. lib. n. cap. 7. qui etiam affert rationes de clinis denegata absolutione in articulo mortis, card. de Aguirre tun alibi, tum in Comment. in can. 47. Conc. III. beritan. Christ. Lupus in dissert. de peccatorum ac satisfactionum indulgentiis. opp. ed. Ven. tom. vi. Sirmonius in Historia penitentia publica, cap. 1. opp. ed. Paris. tom. iv.

(Douce.)

stimaverit limitatam suis facultatem sibi a Christo concessam ad remittenda peccata, *N.*

PROPOSITIO IV. — *Recta et utilis est peccatorum veniam frequens confessio et viorum usui consentanea.*

Hac propositio est certa adversus Jansenistas, qui ad facilius omnem confessionem abolendam insurrexerunt in confessionem peccatorum venialium. Hac enim sublata, sola fieret confessio de peccatis lethabilibus, quae propterea palam proderet interiorem poenitentium statum. Illic ex timore se publice prodendi lethiferorum criminum reum, vix reperiretur, qui accederet ad hoc sacramentum (1). Jansenistis, ut par erat, subserbit synodus Pistoriensis, cuius propositio XXXIX: *Declaratio synodi de peccatorum veniam confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones, temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a S. Conc. Trid. probatae contraria declaratur, et proscripturit a Pio VI in sepius cit. Const. Auctorem fidei.*

His itaque novatoribus opponimus imprimis auctoritatem Concilii Trid. quod sess. XIV, cap. V, hæc habet: *Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamvis recte et utiliter circa omni presumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen circa culpam, multisque aliis remedis expiari possunt. Venialia igitur confitendi praxis a patribus Tridentinis magnopere commendatur tanquam recta et utilis, et piorum hominum usui consentanea.*

Non reddi autem contemptibilem hanc veniam confessionem, si frequentaretur, constat ex iis, quæ scribit s. Franciscus Salesius (cuius hac in re auctoritas magni facienda est) dum sic docet Philoteam: *Confitere humiliter et devote in hebdomada, et si fieri*

Petavius in animadv. in s. Epiphian. ad hæres. 59. Novatian. p. 227. et seqq. sic etiam censuit Marten. op. cit. Editor. maur. opp. s. Ambros. in admonit. in lib. de lapsu virg. consecrato. Contra vero Morinus de penit. lib. ix. c. 20. Petavius item in Distr. de penit. et reconciliatione quam edidit in secunda edit. Synesis Paris. 1655. ubi emolit quo scriptis in animadv. in s. Epiphianum, Nat. Alex. diss. 7. in sec. Eccl. III. Maurinus editor opp. s. Cypriani, nempe Garnierius, cum aliis contendunt nunquam, saltem in Ecclesia universalis, denegatam fuisse sacramentalem absolutionem in mortis articulo. Quæstio difficultis est; longum esset utriusque sententiae argumenta expendere. Hoc unum dico, hanc disciplinam, si aliquando viguit, ad breve omnino tempus viguisse, aliquanto scilicet post mortem Apostolorum usque ad s. Zephirinum; ex eo enim tempore a diuini severitate magis ac magis recessum est. Cf. AA. cit. Patet igitur ex dictis disciplinam illam, in hypothesi quod uspian obtinuerit, non perdurasse ultra annos plus minus 40.

(1) Cfr. Habertus, Valorum antistes, qui in examine libri de frequenti communione, hoc iam adverterat, scribens: *Judicet lector, quo ista, quam tanto moluisse sancti cyranus nitebatur inducere, collinet doctrina de abolenda peccatorum veniam confessione, ut nempe confessio, quæ juxta hanc methodum fieret de solis peccatis mortalibus, proderet palam interiorem poenitentiam statum, animam emortuum, infamum et lethiferorum criminum sordibus operant. Sic enim confessionis onus, quod jam inde et per se satis grave est, efficeretur minus tolerabile, alique ita metu se prodendi et reddendi publice infamem, qualibet a confessione averteretur! Quem, fuisse præcipuum sancti cyranus scopum, satis exploratum est.*

potest, ad sacram Synaxim accede, eti nullius peccati gravis conscientiam habeas; quoniam per poenitentiam sacramentum non tantum a venialibus noxis confessis absolveris, sed magnam tibi comparabis vim ad eas evitandas, magnum lumen, ad eas rite dignoscendas, et uberem gratiam ad reparandum damnum ab illis illuminat (Part. II, cap. 19).

Sed præterea usum confitendi peccata venialia antiquitas obtinuisse constat. Etenim Tertullianus, in lib. De pudicitia, quem jam Montanista conscripsit, inter peccata remissibilia, seu quæ virtute clavum remitti possunt, plurima peccata venialia, recenset (Cap. 19, edit. Rigalii). S. Cyprianus, lib. De lapsis, de fidelibus ætatis sue scribit: *Apud sacerdos Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt* (Pag. 190. edit. Maurin). S. Basilius hanc praxim apud Sanctimoniales obtinuisse testatur (1). S. Augustinus: *Semper confitere, inquit, semper habes, quod confitearis. Difficile est in hac vita, ut sic muletur homo, ut nihil inveniatur in eo, quod reprehendatur* (Enarrat. in Psalm. 99, n. 6). Mabillonius, in Praef. ad Acta sanct. Benedictinorum III. seculi, ostendit, olim viros pios singulis diebus aut singulis saltæ hebdomadis confiteri solitos fuisse, idque ordinarium fuisse apud monachos, allatis diversorum ordinum statutis, evincit. Ostendit insuper, et apud laicos eamdem consuetudinem viguisse; inter cetera exempla assert illud s. Segolena, quæ apud sacerdotem monachum parva minima peccata, sine quibus esse non possumus, cum gravia deessent, cum lacrymis confessa est. Sic apud Drogonem episcopum Metensem ipsius fratrem quotidie confitebatur Imperator Ludovicus Pius. Alia plura hujus usus documenta ex antiquitate proferunt Morinus (2), Renaudius (3), Martenius (4), Chardonius (5), ita ut necesse non sit ea singillatim persequi: ex quibus luculenter constat, tum in Ecclesia latina, tum in Ecclesia græca, ac reliquis orientalibus christianis societatibus eamdem praxim communiter fuisse receptam.

DIFICULTATES. Obj. I. Nuspian legimus in veterum sanctorum vitiis vel encomiis, eos de levioribus culpis secreta confessione se accusasse. Ergo hic usus antiquitas non obtinuit. 2. Duplex exinde emolumentum proveniebat: alterum nempe in confessionem ipsam, quæ sic majori fervore frequentabatur, dum ex nimia assiduitate vilescit; alterum in peccato gravium criminum reos, qui hoc luceri et commodi percipiebant, quod Ecclesia se iis jungeret pro delictorum expiatione: contra vero, nullis amplius publicis poenitentibus superstitibus, id exequi amplius non potest. Ergo.

- (1) regulæ brevius tractatæ, Interrog. 4. opp. tom. II, pag. 415, edit. Garnierii.
- (2) De penit. lib. v, cap. 5. 5. et 52.
- (3) perpét. de la foi, tom. v, liv. m. ch. 6.
- (4) De antiqua Eccles. riūb. lib. i. par 41, cap. 5. art. 5.
- (5) Histoire des sacrements, tom. ii. ch. 6, pag. 52. et seqq.

Resp. Ad. 1. Neg. Plura enim exempla recensimus, quibus suffragatur doctrina veterum patrum, qui fideles ad confessionem etiam leviorum noxarum adhortabantur; multo igitur magis ipsos hanc confessionem frequentasse dicendum est.

Ad 2. Neg. Etenim nec primum, quod autem, emolumentum provenit; cum experientia quotidiana nos doceat, longe melioribus dispositionibus prædictos eos esse, qui nonnisi levibus maculis inquinati ad eas abstergendas per frequentem confessionem accedunt, quam qui gravissimis criminibus implicati semel in anno ad poenitentiae tribunal se conferunt. Quod si in nonnullisabus aliquis irrepit, abusus corrigendus est, nec ideo tollenda aut improbanda est praxis, quam sancti piisque viri tanto cum fructu frequentant. Nec illud omitti debet, saepe homines dubitare, utrum sue culpæ lethales in venialibus sint, cum difficillimum interdum sit ex multiplici capite rectum de iis judicium ferre, ut s. Augustinus ipse proficitur (1).

Sed neque secundum emolumentum provenit; alioquin in jansenistarum hypothesi soli publici peccatores communionis sanctorum et orationum Ecclesiæ participes essent. Ecclesia autem pro omnibus orat.

CAPUT IV. DE SATISFACTIONE.

Contritio et confessio essentiam constituent sacramenti poenitentiae, et ad culpam et poenam aeternam condonandam conferunt, satisfactione ejusdem integratatem constituit, inservitque ad eam poenam temporalis partem remittendam, quæ plerumque remanet post sacramentum persolvenda sive in hac viae in altera vita. Est autem satisfactione, compensatio injuria Deo nostris peccatis illatae. In omni siquidem gravi peccato tanquam gemina proprietatis reperiuntur culpa et poenæ aeternæ reatus, qui tollitur statim ac homo cum Deo in gratiam reddit: et reatus poenæ temporalis, qui plerumque remanet post delicti condonationem, et pro cuius expiatione homines eleemosynas, orationes et jejunia, ut docet Tridentinum (Sess. VI. cap. 14), aliaque pia opera, vel poenas sive sponte suspectas, sive patienter toleratas, vel a sacerdote injunctas debent Deo persolvere, ut pro virili injuriam Deo peccatis illatam compensent, ejusque justitiae satisfaciant.

Protestantes omnem satisfactionis necessitatem utpote Christi cruci injurias rejiciunt, cum in ipsorum systemate Deus nobis imputet Christi merita ne poenam a nobis exposcat. Imo unicum hunc esse meritorum Christi effectum proficitur (2). Adversus quem errorum sit

(1) De civit. Dei, lib. xxi. cap. ult. ubi scribit: *Venialia peccata... periculosisimum est defuiri. Ego certe usque ad hoc tempus, cum satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.*

(2) In tract. de grat. cum ageremus de justificatione,

ostendimus protestantes juxta novum suum sistema docuisse homines minime sanctificari per renovationem interiorum, sed solum legi seu non imputari ad poenam eorum peccata, ita ut culpa semper vigeat in anima justificati.

PROPOSITIO I. — *Non tota simul poena cum culpa semper remittitur a Deo, sed plerumque, poena aeterna virtute clavum sublata, poena temporalis manet exsolvenda.*

De fide est juxta canonem XII. sess. XIV. conc. Tridentini: *Si quis dixerit, totam paenam simul cum culpa remitti semper a Deo... anath. sit.*

Ne autem ad rem non ita per difficilem evinebam et sacris litteris argumenta depromamus, nobis satis erit adversarios provocare ad notissima exempla Adæ, Moysis, Aaron, præsertim vero David, a quibus omnibus, licet Deus culpam dimiserit, imo ab ipsis transtulerit, ut dixit Nathan ad David, gravissima tamen temporalis poena luenda fuit.

Patres unanimes esse in hoc dogmate adstruendo constat ex apertis ipsorum testimoniis. S. Cyprianus lib. De lapsis: *Dominus, inquit, orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est* (1); s. Augustinus præterea rationem afferit dicens: *Cogitudo homo tolerare, etiam remissis peccatis; quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productio est enim paena quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et paena* (2); s. Joan. Chrysostomus vero lib. II. de Sacerd. *Quamobrem, inquit, multa quidem arte opus est, ut ægi sacerdotum remedii liberetur se subjecere suadeantur* (3). Et pauca hæc ex multis sufficient cum nec adversarii diffiteantur patres sibi contrarios esse. Nam Calvinus aperte scribit: *Dicam simpliciter omnes fere patres quorum libri existant, aut hac in parte lapsos esse aut nimis aspere et dure locutos* (4). Hæc quidem ille pro consueta modestia sua.

Rationem theologicam suppeditant patres Tridentini sess. cit. cap. VIII. Sane, inquit, et divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui semel a peccati et dæmonis servitate liberati, et accepto Spiritu sancti dono, scientes templum Dei violare et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.

DIFICULTATES. I. Obj. Tria sunt quæ catholicorum doctrinam de satisfactione prorsus evertunt; ac primum Dei iterata promissio dandi plenam peccato-

(1) Pag. 487. Integer liber est de hoc argumento, nempe ut ostendatur satisfactionis necessitas; huc etiam referuntur epistolæ quæ plurimæ ejusdem s. Martyris quas scripsit adversus factionem Felicissimi, qui lapsos ab omni satisfactione liberabat.

(2) Tract. CXXIV, in Jo. n. 5.

(3) At vero nullæ, quæ tunc præcepta, ita tuendis habentur, ut in eis raptae tunc teplor degenerant, et nōpervent. Ed Maur. tom. I. p. 374. Hoc vero argumentum ibid. fuit prosequitur s. Doctor.

(4) Inst. lib. m. cap. 4. § 58. Kemnitius pariter, et Centuriatores fatentur « patres fere omnes agnoscere satisfactionem, qua Deus placetur et peccata redimantur. » Cf. Erbermannum in Vindictis ad cap. 19. lib. iv de paen. Belarmini.